



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XCI. De Missæ Sacrificio interrumpendo, S. Viatico, & hostiæ
fragmentis à celebrante post ablutionem repertis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XCI.

De Missæ Sacrificio interrumpendo, S. Viatico, & Hostia fragmentis à celebrante post ablutionem repertis.

Valentinus Parochus durante adhuc Missâ statim post Consecrationem monetur ab Ædituo, Susannam in proxima domo agram, morti proximam esse, & S. Viaticum expetere. Valentinus Sacro interrupto, acceptaque ex tabernaculo S. Hostiâ ab altari discedit, & ad Susannæ domum festinat, eamque jam jam expirantem S. Viatico munit, & ad altare reversus incæptam Missam profecquitur, dumque S. Hostiam à se consecratam frangit notabilem hostiæ particulam decidentem videt, quam tamen ut ut diligenter quæsitam invenire, non potest: Unde Missam absolvit, & ad Sacristiam redit, dumque S. vestes exuere parat, Hostiæ particula (quæ S. vestibus adhæserat) in terram decidit, quam è terra reverenter sublatam ipsemet ibidem sumit.

QUÆR. I. An Valentinus Sacerdos rectè egerit S. Viaticum ad Susannam deferendo, Sacro interrupto?

QUÆR. II. An rectè fecerit Sumendo in Sacristia talem Hostiæ particulam?

QUÆR. III. An à Sacerdote celebrante post ablutionem sumi possint reperta fragmenta, seu reliquia in alio Sacrificio ab alio consecrata?

536 **A**D I. Q. resolutio ex eo pendet, an, & quando Missa à Sacerdote inchoata interrumpi possit; & quidem non esse eam absque gravi causa abrumpendam, sed continuò ad finem usque

usque perducendam, patet ex C. illud, & C. nihil, 7. q. 1. ubi in fine can. dicitur: *Nullus absque patientis proventu molestia, Minister, vel Sacerdos, cum cæperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere: Si quis hæc temerariè præsumpserit, Excommunicationis sententiam sustinebit.* Idque meritò exigit reverentia tanto Sacramento debita, ne illud mutilum, & imperfectum relinquatur, cum id fieri potest absque gravi incommodo;

537 Causæ porrò legitimæ, ob quas Sacrificium ante consecrationem, vel Consecratione facta interrumpi potest; variæ sunt; minoresque sufficiunt ante consecrationem, vel oblationem, uti si concio ad populum habenda sit, vel propter Ordines conferendos, aut adventum Episcopi, Ducis, Principis &c. vel propter populi adventantis processionem, quos decet integrè Missam audire; ubi si non adlit alius Sacerdos, qui celebret, & oblatio nondum sit facta, poterit Missa inchoata rursus à principio inchoari, ut docent Navar. cap. 25. n. 86. Em. Sà V. Missa Palao tr. 22. D. unic. p. 11. Laym. l. 5. rr. 5. cap. 7. Henriq. & alii. Præterea potest cœptum Sacrificium vel relinqui, vel interrumpi, si Sacerdos recordetur, se non esse jejūnum, excommunicatum, irregularem, si Canon nondum sit cœptus; vel si excommunicatus, & non toleratus

Missæ Sacrificio interesse præsumat, & expelli nequeat, dummodò Canon nondum sit inceptus, uti notant citt. DD. cum S. Thom. q. 83. a. 6. Item si morbus, vel alia gravis corporis necessitas cogat Sacrificium Missæ interrumpere, ubi si consecratio jam facta fuit, & inceptum Sacrificium nequeat amplius per ipsum celebrantem perfici, nec alius jejūnus reperiatur, debet alius Sacerdos substitui etiam non jejūnus, qui suppleat, & Sacrificium perficiat, ut communiter docent DD. cum S. Th. citt. & colligitur ex C. illud citt. & C. nullus Episcopus d. 1. de consecr. eò quòd perfectio Sacrificii, utpote juris divini, Strictius obliget, quàm quodlibet præceptum Ecclesiasticum. Quòd si Sacerdos defecerit ante consecrationem cœpto jam canone juxta Angelum V. Eucharistia, Henriq. l. 8. c. 50. Laym. l. 6. aliòsque poterit alius Sacerdos jejūnus accedere, & supple- re, non tamen id necessarium est. Demum potest Sacrificium etiam facta consecratione relinqui, postmodum perficiendum, ut necessitati alienæ maximè spiritali consulas; quando scilicet tanta est necessitas, ut dilationem non patiatu- recipiendi aliquod Sacramentum ad salutem moraliter necessarium, etiamsi ex templo exire debeas, ut dictæ necessitati succurras. Unde si Sacramentum ægro morti proximo

fit administrandum, qui moraliter non censetur expectare posse finem Sacrificii, poterit Sacerdos ab altari discedere, & accepta secum S. Eucharistia in domum moribundi se conferre, ut ei Sacramentum ministret, omittis precibus, & orationibus in administratione Sacramentorum præscriptis, post peractum Sacrificium recitandis; debet enim Sacerdos operam dare, ut quàm citissimè potest, se expediat, & ad perficiendum Sacrificium redeat.

Idem quoque est, si poenitentia Sacramentum suscipere non possit, possit tamen Eucharistiam, vel extremam Unctionem; quia eo casu Eucharistia, vel extrema Unctio est infirmo moraliter necessaria. Quòd si necessitas tanta non sit, uti si v. g. paulò antè Sacramentum poenitentia infirmus suscepisset; non decet tunc sacrificantem post consecrationem, vel etiam inceptum Canonem, exutis S. vestibus, Sacrificium relinquere, sed permittere possit infirmum absque Viatico mori, cum moraliter tunc ad salutem illi necessarium non sit, uti docent Zambrian, *cap. 4. dub. 6. n. 5.* Palao l. c. Laym. l. c. Henric. alique. Si quidem, ut ajunt, è templo exire debeas: nam si homo in ipso templo existens sacro Viatico indigeat, quia subito morbo correptus, mox moriturus time-

tur, poterit, imò juxta alios debet, etiam post consecrationem ab altari discedere, & Sacramentum ministrare; quia brevis illa interruptio ex necessitate proximi honestatur, & cum in templo existas, ab altari non censeri moraliter discedere. Ex modò dictis colligitur, Valentinum rectè egisse Sacrum Viaticum ad Susannam deferendo, illudque eidem ministrando, saltem si non paulò antè Susannæ Confessionem excepisset, & Sacramentum poenitentia eidem ministrasset, secundum superius dicta.

Ad 2. Q. R. cum Suarez. *D. 538*
68. Valq. *D. 211. c. 6.* Lug. *D. 15. S. 4.* Fagund. *l. 3. a. 5. n. 24.* Dicastill. *D. 9. quæst. 7.* Arriaga de *Eucharist. D. 44. n. 51.* Navar. *c. 25. n. 89.* Bonac. Valq. Coninck, aliisque communiter posse à Sacrificante etiam post abluionem sumi reliquias S. Hostia à se consecratae in corporali, vel Patena repertas. Ratio est; quia reliquiae, seu fragmenta illa pertinent ad eandem actionem, seu ad complementum ejusdem Sacrificii, ad quod consumandum Sacrificans jus habet, & ratio ulterior est; quia sufficit, si Sacrificans jejunus inchoet actionem, licet non ad omnes, & singulas ejus partes sit jejunus, ut sæpè contingit, quando particula S. Hostia missa in Calicem adharet adhuc Calici, vel

vel palato post sumptam ablutionem, quam particulam adhibita nova ablutione trajicere licet. Imò ex principio illo communiter recepto, quòd satisfaciatur legi, qui sumptionem inchoat jejunus, Suarez, Valq. Lugo, Diana Dicastillo, Palao, Coninck, aliique docent, licere etiam post longam Eucharistiæ distributionem, in fine Sacri sumere deciduas micæ; quia non censetur esse nova Communio, sed pertinere ad complementum tum Sacrificii, tum communionis, quam jejunus inchoavit. Quin imò plures apud Dianam 3. p. tr. 4. R. 45, & Burghab. cent. 3. cas. 37. post Granadum in 3. p. contrav. 6. tr. 10. D. 8. docent etiam adhuc in Sacristia posse à Sacrificante, Sacris tamen vestibus induto, ejusmodi particulas, seu fragmenta sumi, tum ob insinuatam modò rationem; tum quia, si nondum fuit Sacris vestibus exutus, non censetur Sacrificans omninò, ac totaliter absolvisse Sacrificium & communionem, cujus talis particula est complementum. Alii tamen apud Dianam, & Dicastill id negant, eò quòd post recessum ab Altari, & loco Sacrificii jam censeatur absolutum convivium, & Sacrificium.

Unde meliùs, si absque irreverentia, & aliorum turbatione ejusmodi fragmenta asservari possunt, reservantur, ad altare re-

portanda, & ab alio postea Sacerdote ante ablutionem sumenda, præsertim si sint particulæ valde notabiles, vel media hostia, uti contingit in casu Valentini Sacerdotis.

Ad alterum Q. an, si hujusmodi reperta fragmenta in alio Sacrificio ab alio Sacrificante fuerint consecrata, post ablutionem sumi possint, controversum est inter DD. Complures probabilius negant cum Suarez, D. 68. Sect. 6. Valq. D. 211. c. 5. n. 57. Coninck q. 80. a. 8. n. 67. Bonac. D. 4. q. 6. p. 2. n. 14. aliisque citt. Quia horum sumptio non pertinet ad Sacrificium, & communionem hujus Sacerdotis Sacrificantis, nec unam efficit cum sumptione præcedente ablutionem; adeoque non habet jus sumendi non jejunus eas particulas, quarum sumptio non est aliqua consumatio sui Sacrificii: Unde si commodè asservari possunt, servandæ sunt.

Alii tamen cum Palao tr. 21, D. unic. p. 13. Marchi de Sacram. Ord. tr. 3. p. 3. c. 3. R. 19. Tambur. de Exped. Commun. c. 2. §. 2, n. 38. Burgh. cent. 3. Cas. 37. asserunt probabiliter, ejusmodi particulas ab alio Sacerdote consecratas, & in Corporali, vel patena post ablutionem reper- tas adhuc sumi posse à tali Sacrificante. Rationem dant; quia

quia omnes Sacerdotes ab uno, eodémque Christo sunt quomodo unus hujus Minister, sicut etiam unum est veluti specie Sacramentum, & licet particulae illae non pertineant ad complementum Sacrificii, complent tamen eandem moraliter communionem; quia dum Sacerdos ab altari non recedit, sed est adhuc in illo, non censetur moraliter finita consumptio, nec convivium peractum, ut notat Palao l. c. Id, quod practicari ajunt à Viris eximiae sanctitatis, & doctrinae, ac Sacerdotibus purificantibus pyxidem Hostiarum pro renovando Sacramento.

§40 Sed melius hinc distinguit Dicaftill. l. c. inter reliquias parvulas, & majores, & has, & quae commodè ante abluionem accipi possunt, vel ante illam accipiendas esse, vel servandas in Sa-

crario; parvulas autem, quae vix moraliter accipi possunt, nisi adminiculo abluionis, in purificatione pyxidis sumi posse, non solum primam, sed etiam repetitam saepius abluione, nec aliter obligare probat praecipuum non communicandi absque jejuniu naturali.

Notant autem communiter cirt. DD. ejusmodi reliquias dari non posse infirmo, si haec, postquam ille jam communicavit, & abluionem sumpsit, primum in patena, vel corporali reperiantur; quia accepta communionem, & sumpta abluione, finitum jam est convivium, & alias talis infirmus bis communicaret. De quo alibi fufius dictum est in libello de Confessione, & Communionem p. 2.

